

"Creator Spiritus," ab omnibus sociis presentibus in capella, invocando Spiritus Sancti gratiam, solemniter decantetur; cum oratione, "Deus qui "corda fidelium, &c."

Quo facto, senior socius in capella tunc presens associet sibi duos alios socios maxime seniores praesentium juxta admissionem; quibus simul stantibus ad mensam Domini præfatae capellæ, primo dictus senior coram duobus aliis suffragium suum propria manu scribat; postea vero alii duo scribant singulatim suffragia sua manibus propriis; et deinde omnes alii socii presentes, singulatim, pacifice, et sine murmure vel strepitu (sub poena expulsionis a collegio ipso facto), sua suffragia coram predictis tribus senioribus deponant et scribant suis propriis manibus sub hac forma vel consimili, "Ego N. eligo N. ad officium præ- "sidentis hujus collegii." Quibus sic conscriptis in una schedula, dictus senior, vel alius quisquam illorum trium, suffragia eadem aperte et distincte legat coram omnibus sociis presentibus; et in quem major pars sociorum omnium tam praesentium quam absentium consenserit, ille pro electo habeatur absque contradictione cujuscunque; quam electionem dictus senior antequam recedat sub hac forma pronunciare teneatur, "In "nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ego N. "socius hujus collegii, nomine meo et nomine om- "nium sociorum meorum (sive majoris partis eorum- "dem), eligo et electum pronuncio N. in præsiden- "tem hujus collegii." Si autem contingat majorem "partem sociorum omnium tam praesentium quam absentium non convenire in unam personam, tunc omnes et singuli socii presentes vota et suffragia sua, singulatim, rursus, et de novo, scribant juxta formam praescriptam; et sic faciant ter si toties majori parti sociorum praesentium videbitur expedire: et si contingat majorem partem sociorum omnium tam praesentium quam absentium adhuc non convenire in unam personam, tandem compromittant omnes et singuli socii presentes sua suffragia in quinque socios maxime seniores omnium praesentium, et in quem major pars ipsorum quinque seniorum consenserit pro electo habeatur absque hæsitatione vel contradictione quacunque. Quam electionem dictus senior pronunciare in forma predicta teneatur. Si autem major pars dictorum seniorum in unam personam ante horam duodecimam ejusdem diei ibidem non consenserit, tunc penes regiam maiestatem eligendi potestatem esse volumus. Deinde faciat dictus senior electum præsidentem inquiri, et (peractis ab eodem præsidente electo omnibus, quæ hujus regni leges fieri præscribunt), die ab eodem seniore assignanda, coram sociis collegii in capella ejusdem ad mensam Domini ex collegii sumptu personaliter præsentari; quo præsente, psalmum, "Te Deum laudamus," omnes socii presentes solemniter cantent; et postea coram sociis dictis electus præsidentis dabit fidem se observaturum statuta et consuetudines hujus collegii, ad hunc qui sequitur modum.

"Do fidem me veram Christi religionem omni "animo complexurum; Scripturæ auctoritatem "hominum judiciis præpositurum; regulam vitæ "et summam fidei ex verbo Dei petiturum; "catera quæ ex verbo Dei non probantur pro "humanis habiturum; auctoritatem regiam in "hominibus summam, et externorum episcoporum "jurisdictioni minime subjectam, aestimaturum; "et contrarias verbo Dei opiniones omni voluntate "refutaturum; vera consuetis, scripta non scriptis, "in religionis causa antehabiturum."

"Do fidem etiam, quod officium præsidentis pro "tempore meo fideliter geram; statuta, ordina- "tiones, et laudabiles consuetudines hujus collegii,

"quantum in me est, illæsa observabo; eademque "statuta fideliter exequar, vel exequi procurabo."

Fide sua sic data, præsidentis electus sedem in capella præsidenti designatam capessat; et senior socius presens, aut si ille fuerit electus, socius proximus senior præsentium exemplar statutorum ei tradens, in præsidentem hujus collegii his verbis eum admittat.

"In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti "admitto te in præsidentem hujus collegii."

De residentia præsidentis.

Cum certissima rerum omnium experientia edocti sumus, rempublicam omnem brevi casuram, quæ suo rectore destituitur, opera pretium duximus statuere, quod præsidentis hujus collegii resideat in eodem singulis terminis per duas partes termini, sub pena amissionis tertiae partis stipendii anni sui pro singulo termino quo duas partes termini in collegio non resederit, nisi rationabilis causa ipsum excusat, per majorem partem sociorum in villa præsentium approbanda; qualem si præsidentis allegaverit coram sociis predictis, licebit eidem socii vel majori parti eorundem cum præsidente tunc dispensare, ut licite se absentare valeat a collegio ad placitum, dummodo singulis annis resideat in eodem per tres menses continue vel discontinue, sub pena amissionis stipendii sui pro singulo anno, quo tres menses ante festum sancti michaelis in mense septembri (hunc enim finem anni statuimus quantum ad absentiam pertinet in dicto collegio non resederit, nisi regia majestas quovis anno ampliorem licentiam permittat.

De officio et auctoritate præsidentis.

Frustra videntur condi statuta, nisi eadem executioni mandentur. Statuimus, igitur, quod præsidentis differenter statuta hujus collegii super transgressoribus eorundem exequatur, vel eadem fideliter exequi procuret et supervideat per ejus vices gerentes et alios hujus collegii officarios. Statuimus etiam quod præsidentis, si quando sibi aut quibusvis, tribus sociis collegii visum fuerit, ad tractandum et deliberandum super collegii negotiis socios convocet et talibus convocationibus præsideat.

Statuimus, insuper, quod omnes pecuniarum summae, huic collegio quovismodo debitæ, recipiantur vel per præsidentem vel per thesaurarium superiorem aut ejus substitutum.

De præsidentis amotione.

Statuimus quod, si quando præsidentis manifestæ secessionis ab Ecclesia Anglicana accusetur, faciat procancellarius hujus academiæ quam primum ut accusatio in curia sua investigetur, et, si confirmetur, præsidentem ab officio ejus removeri judicet: quo judicio officium dictum præsidentis statim vacet.

Statuimus quod, si quando præsidentis alicujus criminis coram judice legitimo convictus fuerit, liceat procancellario, si sibi videatur, de ea re in curia sua inquirere, et præsidentem, si sibi constiterit convictum fuisse, ab officio ejus removeri judicare: quo judicio officium dictum præsidentis statim vacet.

Statuimus etiam quod, si quando manifeste constiterit majori parti sociorum omnium tam præsentium quam absentium præsidentem flagitosæ vel solitæ pravitatis, malæ muneris sui administrationis, aut gravis officii sui negligentiae noxiæ fuisse, ita quod dicta major pars eum collegio præsidere parum idoneum sentiat, liceat dicta majori parti eum accusare coram procancellario, qui faciat, ut accusatio in curia sua investigetur, et cui liceat, si confirmetur, præsidentem ab officio